

PSALMORUM
LIBER QUINTUS ET ULTIMUS

SECUNDUM HEBRÆOS.

PSALMUS CVII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *Alleluia.*

1. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordiam ejus.
2. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos :
3. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.
4. Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.
5. Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis deficit.
6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribulatione, et de necessitatibus eorum eripuit eos.
7. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.
8. Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
9. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.
10. Sedentes in tenebris, et umbra mortis, victos in mendicitate et ferro.
11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.
12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.
13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribulatione, et de necessitatibus eorum liberavit eos.
14. Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit.
15. Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
16. Quia contrivit portas areas, et vectes ferreos confregit.

V. s. H.

- Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in æternum [*h. sæculum*] misericordiam ejus.
- Dicant redempti [*al. qui redempti sunt*] a Domino : quos redemit de manu hostis.
- Et de terris congregavit eos, ab oriente et occidente : ab aquilone et mari.
- Erraverunt in solitudine, in deserta via : civitatem quæ habitaretur, non reppererunt.
- Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis deficiebat.
- Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de afflictione [*h. angustias*] eorum eripuit eos.
- Et duxit illos per viam rectam, ut venirent in civitatem habitabilem.
- Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filiis hominum,
- Quia saturavit animam vacuum, et animam esurientem implevit bonis.
- Habitantes in tenebris et umbra mortis, alligatos inopia et ferro.
- Quia provocaverunt sermones Dei, et consilium Excelsi blasphemaverunt.
- Et humiliavit in labore cor eorum : corruerunt, et non erat qui adjuvaret.
- Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de angustias eorum salvavit eos.
- Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit.
- Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios [*al. filiis*] hominum.
- Quia contrivit portas areas [*h. ostia area*], et vectes ferreos confregit.

PSALMUS CVI.

229

17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt.
18. Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.
19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribulatione, et de necessitatibus eorum liberavit eos.
20. Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.
21. Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
22. Et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione.
23. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.
24. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.
25. Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus.
26. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat.
27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.
28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribulatione, et de necessitatibus eorum eduxit eos.
29. Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus.
30. Et lætati sunt quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.
31. Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.
32. Et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.
33. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim;
34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.
35. Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.
36. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis.
37. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativatis.
38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non minoravit.
39. Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.
40. Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio, et non in via.

- Stultos propter viam [*h. de via*] sceleris eorum, et propter iniquitates [*h. de iniquitatibus suis*] afflictos.
- Omnem cibum abominata est anima eorum, et accesserunt ad [*al. usque ad*] portas mortis.
- Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de [*al. et de*] angustias eorum salvavit eos.
- Misit verbum suum, et sanavit eos : et salvavit de interitu eorum.
- Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios [*h. filiis*] hominum.
- Et immolent hostias gratiarum [*h. confessionum*], et narrent opera ejus in laude.
- Qui descendunt mare in navibus : facientes opus [*al. operationes*] in aquis multis.
- Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.
- Et dixit, et surrexit [*h. statuit*] ventus tempestatis, et elevavit gurgites ejus.
- Ascendunt in cœlum, et descendunt in abyssos : anima eorum in afflictione [*h. malo*] consumitur.
- Obstupuerunt, et intremuerunt quasi ebrius : et universa sapientia eorum absorpta est.
- Clamaverunt autem ad Dominum in tribulatione sua, et de angustias eorum eduxit eos.
- Statuit [*h. suscitavit*] turbine in tranquillitatem, et silebunt fluctus ejus.
- Lætabuntur, quoniam quieverunt, et deducet eos ad portum quem voluerunt.
- Confi-teantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.
- Et exaltent eum in ecclesia populi, et in cathedra seniorum laudent eum.
- Ponet flumina in desertum, et fontes [*h. exitus*] aquarum in sitim :
- Terram fructiferam in salsuginem : præ malitia habitatorum ejus.
- Ponet desertum in paludes aquarum, et terram inviam in fontes [*h. exitus*] aquarum.
- Et collocavit ibi esurientes : et fundabunt urbem ad habitandum.
- Et serent agros, et plantabunt vineas : et facient fruges germina [*al. gemina*].
- Et benedicent eis, et multiplicabuntur nimis, et pecora [*h. jumenta*] eorum non immineuntur.
- Imminuta sunt autem et afflicta, propter angustiam mali et doloris.
- Et effundet despectionem super principes, et errare eos faciet in solitudine devia [*h. inani*].

41. Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.

42. Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas opprobabit os suum.

43. Quis sapiens et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?

Et sublevabit pauperem de inopia, et ponet quasi gregem [A. oves] familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas contrahet os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?

Argumentum. — « Nobis sic videtur, Psalmum hunc compositum fuisse tum diemum, postquam Judæi ex Babylonia primum, Jerde et aliunde ex variis regionibus, velut ex Ægypto, Arabia, etc., quo olim, turbato reipublicæ statu, vel ultro profugissent, vel per vim hostium abduci essent, reduces in patriam facti, rem suam publicam et familiarem atque domesticam feliciter instaurare cepissent. Illos igitur esse, quos ad gratias Jovæ persolvendas excitet auctor. » Schæfferus. Strophæ cum proœmio sex : vers. 1-3, gratias agant Jovæ Judæi de exilio revocati; vers. 4-9, qui postquam sedibus expulsi summa inopia confictati erant, restituti sunt a Deo in rem familiarem; vers. 10-16, qui ex carcere et vinculis in libertatem vindicati; vers. 17-22, qui ex presentissimo mortis periculo erepti; vers. 23-32, qui ex ammani procella salvi in portum deducti; vers. 33-43, gratias agant, quod terra, quom vastata penitus incolisq; orbata jacuisset, recepit nunc colonos suos, atque ad pristinam culturam ubertatemque rediit. Quæ proœmium sequuntur quatuor strophæ, ita sunt conformata, ut partibus suis singulis inter se respondeant. Primo loco ubique certum genus calamitatis exponitur (vers. 4 seq., 10-12, 17 seq., 23-27); secundo, auxilium divinum præcibus efflagitatum commemoratur (vers. 6 seq., 13 seq., 19 seq., 28-30); tertio, ad gratias Deo peragendas exhortatio subjungitur (vers. 8 seq., 15 seq., 21 seq., 31 seq.).

1. « Laudate Jovam, nam benignus est, nam in perpetuum *manet* gratia ejus. »
2. Sic dicant redempti Jovæ, quos redemit a manu oppressoris,
3. Atque e terris collegit, ab oriente et ab occidente, a septentrione et a mari.
4. Errarunt per desertum, per solitudinem viæ (inviæ), urbem habitationis (ubi habitare possent) non invenerunt.
5. Esurientes et sitientes fuerunt, anima eorum in iis elanguit.
6. Et clamaverunt ad Jovam in angustiis, *quæ iis erant*, ex angustiis eorum eripuit eos.
7. Et ingredi fecit eos viam rectam, ut venirent in urbem habitationis.
8. Celebrent (homines illi) Jovæ gratiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum :
9. Nam satiavit animam appetentem, et animam esurientem replevit bono (bonis).
10. Incolæ tenebrarum et umbræ mortis, captivi miseræ et ferri;
11. Nam repugnarunt verbis Dei, et consilium Altissimi spreverunt;
12. Et depressit ærumnis animum eorum, labarunt, neque fuit adjutor;
13. Et clamaverunt ad Jovam in angustiis suis, ex angustiis eorum liberavit eos.
14. Et eduxit eos e tenebris et umbra mortis, et vincula eorum dirupit :

15. Celebrent Jovæ gratiam ejus, et mirabilia ejus filiis hominum :
16. Quod confregit januas æneas, et vectes ferreas concidit.

17. Stulti propter viam (agendi rationem) suam descendentem (a Jovæ), et propter delicta sua afflictos se reddiderunt.
18. Omnem cibum abominata est anima eorum (præ mœrore), et pervenerunt ad portas mortis.
19. Et clamaverunt ad Jovam in angustiis suis, ex angustiis eorum liberavit eos.
20. Misit verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos e foveis (morbis lethiferis eorum) :
21. Celebrent Jovæ gratiam ejus, et mirabilia ejus hominibus;
22. Et sacrificent sacrificia gratiarum, et enarrent opera ejus voce læta.
23. Qui descenderunt in mare navibus, qui fecerunt opus in aquis magnis;
24. Illi viderunt opera Jovæ, et mirabilia ejus in profundo.
25. Et dixit, et surgere fecit ventum procellæ (procellam), et *procella* sustulit in altum fluctus ejus (maris).
26. Ascendunt in cælum (navigantes), descendunt in abyssos, anima eorum in malo (tanto discrimine) colliquescit.
27. Vertigine corripuntur et titubant sicut ebrius, et omnis sapientia eorum periit.
28. Et clamaverunt ad Jovam in angustiis suis, atque ex angustiis eorum eduxit eos.
29. Subsistere fecit procellam in auram lenem, et siluerunt fluctus eorum.
30. Et lætati sunt, quod considerunt *fluctus*, et duxit eos *Jovæ* in portum desiderii eorum :
31. Celebrent Jovæ gratiam ejus, et mirabilia ejus hominibus.
32. Et *laudibus* efferant eum in cœtu populi, et in consessu seniorum laudent eum.
33. Posuit flumina (loca prius irrigata) in desertum, et fontes aquarum in terram sitientem,
34. Terram frugiferam in salsam (sterilem), propter pravitatem eorum, qui *habitarunt in ea*.
35. Posuit desertum in stagnum aquarum, et terram aridam in fontes aquarum.
36. Et habitare fecit ibi esurientes, et erexerunt urbem (urbes) habitationis.

33. Et conseruerunt agros, et plantarunt vineas, et fecerunt (agri et vineæ) fructum *peruentus anni*.
38. Et benedixit eos, et aucti sunt valde, et iumenta eorum non minuit (auxil).
39. Et pauci facti sunt *Babylonii*, et depressi (a *Cyro*), oppressione, calamitate et ærumnis.
40. Effudit contemptum in principes, et errare fecit eos in vastitate inuía.
41. At extulit pauperem (Israelitis) ex miseria, et fecit gregis instar (numerosas) familias.
42. Videant *id* recti et lætentur, et omnis prauitas claudat os suum.
43. Sed quis est sapiens, ut observet hæc, et intelligat misericordias Jovæ?

NOTE.

Vers. 3. *A mari*: intellige maris medii partem ad Africum, i. e. *Ægyptum* versus sitam, quæ plaga commode opponitur septentrioni. — Vers. 4. *Solitudinem via*: Hengstenberg, per *solitudinem iter* fecerunt; alii post *Vulg. deriq* cum *urbem* jungunt. — Vers. 9. *Appetentem*, a rad. *shaqag*, *discurrit, avidus fuit*; Maurer, *sitientem*. — Vers. 10. *Predicatum inest* vers. 15. Alii ante vers. 10 *repehnt sic dicant* vers. 2. *Miseria et ferri*, hendiadys, pro *ferri ærumnosi*. — Vers. 20. *Misit*, etc. i. e. jussit ut sanarentur. — Vers. 23. *Opus*, mercaturam, vel operam navalem simpliciter. — Vers. 29. *Auram lenem*: ita Hengstenberg; Maurer, *in silentium*, ita ut *sileret*. *Eorum*, puta marium, aquarum; alii: *navigantium*, puta qui eos opprimebant. — Vers. 33 et 34 de *Babylonia* accipit Hengstenberg; sed rectius cum Maurero et aliis accipit de terra *Cananaea*, quæ, deductis in *Babyloniam* incolis, vasta atque inculta relicta est, deinde, redditis colonis, novam induit faciem, ut mox dicitur. — Vers. 39. Non male alii, ut Schnurrerus, vers. 39-40, de *Israelitis* quoque intelligunt, redduntque in plusquamperfecto: *Et qui pauci facti erant*, etc. — Vers. 43. *Maurer, quis est sapiens? hic observet hæc, et attendat*, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS CVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Alia.

Titulus est, *Alleluia*, quam vocem codices hebraici nunc habent in fine Psalmi superioris: sed Septuaginta interpretes ponant eam initio hujus Psalmi, quoniam in suis codicibus hebraicis invenerunt. Recto autem titulus Psalmi est *Alleluia*, id est, *laudate Dominum*, quoniam in hoc Psalmo laudatur primo misericordia Dei, qua liberat homines a quatuor communibus miseriis, quas paulo post enumerabimus, et ideo quater repetitur duo versiculi: « *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, et de necessitatibus eorum liberavit eos, » et « *confiteantur Domino misericordiam ejus, et tribulatio ejus filius hominum*. » Deinde in altera parte Psalmi laudatur omnipotentia Dei, quæ solvendo mutat rerum naturas. Dissensio quidem est inter expositores de quatuor illis miseriis: alii enim volunt eas esse corporales, et ad populum Hebræorum proprie pertinere. Alii existimant corporales esse, sed pertinere ad humanum genus universum: non ad solos Judæos. Alii spirituales esse censent, et liberationem ab illis esse propriam electorum. Alii denique spirituales esse dicunt, et liberationem ad omnes pertinere. Sed videntur sententiæ istæ facile posse ad concordiam redigi, si dicamus ad litteram de miseriis corporalibus agi, mystice de spiritualibus, et ad genus humanum universum pertinere: sed exempla poni in iis rebus, quæ populo Hebræorum proprie contigerunt, liberationem vero perfectam ad solos electos, imperfectam ad omnes pertinere.

EXPLICATIO PSALMI.

1. CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS: QUONIAM IN SÆCULUM MISERICORDIA EJUS.

2. DIGANI, QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO, QUOS REDDIDIT DE MANU INIMICI, ET DE REGIONIBUS CONGREGAVIT EOS.

3. A SOLIS ORTU ET OCCASU, AB AQUILONE ET MARI.

Hæc est præfatio totius Psalmi, in qua David hortatur omnes qui experti sunt misericordias Domini, ut confiteantur laudes Domini, ac potissimum confiteantur ipsi Domino, quod ipse sit vere bonus et misericors, et misericordia ejus nunquam deficit. Et quidem maxime proprie invitat fideles, quos redemit sanguine Unigeniti sui de manu inimici potentissimi, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem, id est, principis tenebrarum; quosque congregavit in unum populum, in unam Ecclesiam, in unum regnum filii dilectionis suæ, non ex *Ægypto*, vel *Babylone*, ut olim Hebræos, sed « ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari, » id est, a quatuor mundi partibus, sive ex toto orbe terrarum, juxta illud *Joan. cap. x, 16*: « *Alias oves hæc, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*; » et *Joan. xi*: « *Quia Jesus mortuus erat pro gente, et non solum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. » Quamvis autem maxime proprie invitentur fideles, sive ex Hebræis, sive ex gentibus: tamen invitantur etiam generatim omnes homines, quos quocumque loco et tempore liberavit Dominus de quacumque vexatione: nam redemptio in Scripturis accipitur passim pro liberatione, etiamsi non fiat pretio interveniente; item quos liberavit de manu, id est, potestate conjunctumque inimici; denique quos liberavit de quocumque exilio, de quacumque dispersione, de quacumque extremitate terræ, et revocavit in patriam, atque ad populum suum congregavit. Porro illa descriptio a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, continet, ut notum est, longitudinem et latitudinem terræ: nam longitudo incipit ab ea regione unde oritur sol, et desinit in eam, ubi sol occidit; latitudo incipit ab ea parte unde flat ventus, qui dicitur Aquilo, et desinit in eam, quæ alluitur mari magno, quod Oceanus vocatur; quæ pars australis etiam dici solet, quia ventus Auster, Aquiloni oppositus, inde oritur.

4. ERRAVERUNT IN SOLITUDINE, IN INAQUOSO, VIAM CIVITATIS HABITACULI NON INVENERUNT.

5. ESURIENTES ET SITIENTES: ANIMA EORUM IN IPSIS DEFECIT.

6. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM CUM TRIBU-

LARENTUR, ET DE NECESSITATIBUS EORUM ERIPUIT EOS.

7. ET DEDUXIT EOS IN VIAM RECTAM, UT IREN IN CIVITATEM HABITATIONIS.

8. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIÆ EJUS ET MIRABILIA EJUS FILIIS HOMINUM.

9. QUIA SATIAVIT ANIMAM INANEM: ET ANIMAM ESURIENTEM SATIAVIT PANIS.

Hæc est prima pars Psalmi, in qua explicatur liberatio a prima miseria. Quatuor sunt miseriæ communes corporales, et quatuor etiam spirituales. Corporales miseriæ sunt *primo*, fames et sitis, quæ oriuntur a sterilitate terræ, vel penuria pluvie cœlestis, id est, a principio extrinseco naturali: *secundo*, captivitas, quæ oritur ab aliena violentia, id est, a principio extrinseco voluntario; *tertio*, morbus, sive agrotatio, quæ oritur ab interna mala constitutione, id est, a principio interno naturali; *quarto*, periculum naufragii, quod oritur a principio externo naturali, id est, ab impulsu ventorum, et a principio interno voluntario, id est, a curiositate hominum, qui non contenti solido elemento terræ, per liquidum etiam iter facere voluerunt. Miseriæ quatuor spirituales hæc sunt, quæ a theologis dicuntur vulnera naturæ, relicta in nobis ex peccato originali, ignorantia in mente, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in appetitu irascibili, et malitia in voluntate: quorum vulnerum contraria sunt, prudentia in mente, temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, justitia in voluntate, quæ dicuntur virtutes quatuor cardinales. Vide S. Thomam in part. II, *Quest. LXXV*, art. 3. Igitur in hac prima parte Psalmi cantatur a Propheta misericordia Dei, liberans a prima miseria tam corporali, quam spirituali. Videtur autem alludere ad famem et sitim, quam passi sunt Hebræi in deserto; sed tamen doctrina communis est, atque ad omnes pertinens, ut supra diximus: sic igitur ait: « *Erraverunt in solitudine, in inaquoso*, » id est, multi homines quærentes patriam suam erraverunt aliquandiu per iniviam et inaquosam solitudinem, quod Judæis contigit per annos quadraginta; « *et viam civitatis habitaculi non invenerunt*, » id est, longo tempore vagantes non inveniebant viam, quæ ducet ad civitatem propriæ habitationis, ubi tuto habitare, et requiescere possent. « *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis deficit*, » id est, erraverunt in solitudine esurientes et sitientes, quia neque panis ibi reperitur, neque aqua: et ideo anima, id est, vita eorum in ipsis præ fame et siti deficiebat. « *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, » id est, deficiente omni humano auxilio conversi sunt ad implorandum ad-

jutorum Dei: « et de necessitatibus eorum eripuit eos, » id est, non defuit invocatus Deus, sed pro imata sibi misericordia liberavit eos. « Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis; » id est, hoc modo eripuit eos de necessitatibus suis, quoniam ostendit eis viam rectam, imo in eam eos deduxit, ut per eam brevi itinere pervenirent ad civitatem suae habitationis. « Consciteantur Domino misericordiae ejus, » id est, justum est igitur ut tanta beneficia misericorditer praestita hominibus, consciteantur Deo laudem, sive agnoscantur ab omnibus, ut vere beneficia Dei. « Et mirabilia ejus filiis hominum, » id est, mirabilia opera Dei exhibita filiis hominum ad eorum liberationem, consciteantur Deo auctori laudem suam. In textu hebraico clarius habetur, *consciteantur Domino misericordiam ejus*, id est, homines liberati consciteantur Domino misericordiam ejus. Textus graecus utroque modo intelligi potest, cum vox *da* possit esse tam in casu nominandi, quam accusandi: sed res non est magni momenti. « Quia satiavit animam inanem, » id est, quia mirabili modo alimoniam paravit insolitudine, et inde replevit animam inanem, homines videlicet jejunes; « et esurientes satiavit bonis, » id est, et eosdem homines valde esurientes non solum pavit, sed etiam satiavit optimis cibis, pane de caelo angelorum manibus allato. Haec omnia, ut dixi, de cibo corporali Judeis praestitum possunt satis commode exponi; sed non dubium est quin hoc exemplo docere velit Propheta, omnes alios, qui de errore viae et a miseria famis et sitis liberantur, a Deo liberari et misericordiae ejus gratias debere. Neque dubium esse potest quin Propheta resperit praecipue ad ignorantiam salutis, qua plurimi laborant, et quasi extra viam in deserto vagantur, esurientes et sitientes veritatis cognitionem, fontem sapientiae et prudentiae. Omnes enim naturaliter bonum appetunt; neque ullus est, qui non optet beatitudinem, ac per hoc etiam notitiam viae, quae ad illam ducit; sed tamen plurimi praecipue cogitatione et concupiscentia temporalium honorum, beatitudinem quaerunt ubi non est, imo etiam beatitudinem esse opinantur eam, quae vere non est: et ignorantem finem, viam quoque ad eum ignorare coguntur. Ita vagantes et errantes civitatem vere habitationis non inveniunt, et semper esuriunt ac sitiunt, quia bona terrena, exigua et temporalia cum sint, desiderium animae immortalis, et capacis infiniti boni, satiari nullo modo possunt. Sed si, quos Deus redemit de manu inimici et de variis regionibus congregavit, ex magno misericordiae divinae munere agnoscere incipientes caecitatem suam, clamant ad Dominum, et exanduntur ab eo; diriguntur in viam rectam quae ducit ad civitatem; intelligunt finem ultimam esse regnum Dei, et mediana ad finem esse justitiam ejus; inde esurientes et sitientes justitiam, ad fontem gratiae currunt: eoque fonte in-

terim refecti ad civitatem caelestem perveniunt, ubi replentur et satiantur bonis omnibus, ut nunquam amplius esuriant, neque sitiunt in aeternum.

10. SEDENTES IN TENEBRIS ET UMBRA MORTIS, ET VINCTOS IN MENDICATAE ET FERRO.

11. QUIA EXACERBAVERUNT ELOQUIA DEI, ET CONSILIUM ALTISSIMI IRRITAVERUNT.

12. ET HUMILIATUM EST IN LABORIBUS COR EORUM: INFIRMATI SUNT, NEC FUIT, QUI ADJUVARET.

13. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, CUM TRIBULARENTUR; ET DE NECESSITATIBUS EORUM LIBERAVIT EOS.

14. ET EDUXIT EOS DE TENEBRIS, ET UMBRA MORTIS: ET VINCULA EORUM DISRUPIT.

15. CONSCITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EJUS, ET MIRABILIA EJUS FILIIS HOMINUM.

16. QUIA CONTRIVIT PORTAS AEREA, ET VECTES FERREOS CONFREGIT.

Haec est altera pars, in qua proponitur liberatio a secunda miseria tam corporali, quam spirituali. Secunda miseria corporalis est captivitas, per quam miseri homines clauduntur in obscuris carceribus, alligati vineulis, et onerati ferro. Et videtur Propheta alludere ad captivitatem Hebraeorum sub diversis persecutoribus tempore Judaeum, vel etiam tempore Pharaonis: David enim in Psalmis non nullum laborat, ut historiarum ordine temporum commemoret; sed tamen haec eadem transferri et accommodari possunt omnibus captivis, et in vinculis et compedibus constitutis, quos misericordia Domini postea liberavit. Explicemus verba: « Sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicatis et ferro, » id est, novi alios, qui capti ab hostibus, et tetrus carceribus inclusi sedebant in tenebris, et tenebris valde densis, quales significantur in Scripturis per umbram mortis, ut diximus in explicatione Psalmi xxii, vers. 4, et Psalmi xxiii, vers. 21; qui simul erant alligati vineulis, redacti ad mendicantem, et onerati ferreis catenis et compedibus. Illud, *sedentes*, cum sit accusativi casus, non habet unde regatur. Ideo supplendum *vocati*, aut aliquid simile: nam quod alii dicunt, jungi posse cum verbo praecedente, *satiavit bonis*, vel cum sequente *liberavit*, nimis durum mihi esse videtur. Illud, *vinctos in mendicatis et ferro*, existimo legendum cum distinctione, ut tria sint membra, et sensus sit: *Sedentes in tenebris, sedentes in mendicatis et sedentes in ferro*, id est, in compedibus ferreis. « Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt, » id est, merito traditi fuerant in captivitatem, et alligati carcere, tenebris, vineulis, mendicatis et compedibus, quoniam non obtemperaverunt praecipis Dei, et consilium ejus contempserunt. *Exacerbare eloquia Dei*, significat hoc loco, *ad inane provocare Deum loquen-*

tem, sive precipientem, quod facit, qui praecipia ejus non servat. Potest etiam dici, exacerbare eloquia Dei, qui provocat ad iram ipsa Dei praecipia: quemadmodum enim praecipia Dei coronant observantes, ita puniunt praevicantes; ac per hoc, qui praecipia praevicantur, provocant adversus se ipsa praecipia. Itaque in his verbis figura verbum necessario admittenda est, vel in quibus eloquia Dei, quae accipiuntur pro Deo loquente et precipiente; vel in verbo *exacerbaverunt*, quasi eloquia, id est, praecipia Dei dicantur provocari ad iram, dum praevicantes puniunt. Similis est figura in verbis sequentibus, et *consilium Altissimi irritaverunt*: nam vel consilium Altissimi accipiendum est pro ipso Deo altissimo bene consulente, quem irritaverunt, id est, ad iram concitaverunt, qui consilio ejus adversati sunt; vel *irritaverunt* positum est pro *contempserunt*, sive *praevicant*; qui enim aliquem contemnit, hoc ipso eum irritat, id est, provocat ad iram. « Et humiliatum est in laboribus cor eorum, » id est, superbia cordis eorum humiliata est ob labores captivitatis, vinculorum et compedum. Captivi enim, velint nolint, humiles esse coguntur. « Infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret, » id est, debiles facti sunt, ut non possent resistere adversariis. « Neque fuit qui eos juvaret, » ne ab hostibus caperentur et captivi abducerentur: et in ipsa captivitate duriter haberentur. « Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, » etc. Hic jam ponitur imploratio divini auxilii et liberatio, tum a carcere tenebroso, tum a vinculis et compedibus. Ac ut ostendat magnitudinem beneficii, addit: « Contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit. » Quia metaphora significatur liberatio a captivitate tali, qualis est eorum qui clausi sunt intra portas aereas, quarum vectes ferrei sunt, ita ut non nisi maxima vi reserari possint. In summa describitur liberatio a captivitate durissima et maxima. Porro secunda spiritualis miseria est concupiscentia rerum terrenarum id est, honorum, opum, voluptatum, quae concupiscentia instar catenae et vinculorum ac compedum hominem ita constringit, ut quamvis non ignoret veram felicitatem esse quaerendam in Deo, et mortificanda esse membra, quae sunt super terram: tamen captivus maneat, et progredi non possit, nisi gratia Dei vincula illa disrumpat. Initium liberationis ducendum est ab humilitate, ut homo intelligens captivitatem suam, et debilitatem virium suarum, humiliatum habens cor in laboribus, et videns non esse alium, qui adjuvet, praeter unum caelestem Patrem, corde contrito et humiliato cum infimo gemitu dicat: « Domine, vii. pator, respice et miserere. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? » ut clamat Apostolus Rom. xii. Aderit enim eius dubio misericordia Patris, et educet vinculum de carcere, et vincula disrumpet, ut homo per gratiam Dei liberatus cum letitia dicat: « Diru-

pisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, » *Psalm. cxv. Vide exemplum huius liberationis, maxime a concupiscentia carnalium voluptatum, in S. Augustino, in fine libri VIII et in principio libri IX Confessionum.*

17. SUSCEPIT EOS DE VIA INIQUITATIS EORUM: PROPTER INJUSTITIAS ENIM SUAS HUMILIATI SUNT. 18. OMNEN ESCAM ABOMINATA EST ANIMA EORUM: ET APPROPINQUAVERUNT USQUE AD PORTAS MORTIS.

19. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, CUM TRIBULARENTUR: ET DE NECESSITATIBUS EORUM LIBERAVIT EOS.

20. MISIT VERBUM SUUM, ET SANAVIT EOS; ET ERIPUIT EOS DE INTERITIONIBUS EORUM.

21. CONSCITEANTUR DOMINO MISERICORDIAE EJUS, ET MIRABILIA EJUS FILIIS HOMINUM.

22. ET SACRIFICIUM SACRIFICII LAUDIS, ET ANNUNTIENT OPERA EJUS IN EXULTATIONE.

Haec est pars tertia Psalmi, in qua narratur tertia miseria corporalis, quae est morbus et languor gravissimus, qualis fuit filiorum Israel, cum percussit eos Dominus plaga magna per serpentes ignitos, ita ut plurimi continuo morentur; sed cum clamarent ad Dominum, liberati sunt: et eodem modo quicumque a morbis et plagis variis cruciantur, si Dominum serio ex corde, firma fide, et cum aliis requisitis invocaverint, sine dubio liberabuntur. Sed verba consideremus, atque ea praecipue, quae non sunt antea explicata. « Suscepit eos de via iniquitatis eorum; » propter injustitias enim suas humiliati sunt: « Hic aliquid necessario subintelligendum est, ut: *Vidit Deus quosdam prostratos jacere, et suscepit eos*, id est, erexit de via iniquitatis eorum, in qua miseri jacebant: nam « propter injustitias suas humiliati sunt » usque ad terram. In hebraico textu legitur secundum versionem S. Hieronymi: *Stultos propter viam sceleris eorum*, pro eo quod nos habemus: « Suscepit eos de via iniquitatis eorum. » Sed vox *אורח*, vel *אורח*, quae *stultos* significat, non videtur fuisse in libris antiquis quos habuerunt Septuaginta Interpretes; sed vox *אורח*, quod est, *suscipit eos*; quamvis enim a radice *אורח* in dictionariis deducatur *fortitudo, aries, cervus*, et alia id genus, tamen apud Septuaginta Interpretes ea vox etiam *suscipere* significat. Hinc enim in titulo *Psal. xxi*, posuerunt pro *suscipione*, quod est in hebraeo, *אורח*; et sane major fides habenda est Septuaginta Interpretibus, quam omnibus dictionariis. « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. » Hoc dem. astrat gravissimum morbum, qui cum cibum non admittit, quo vita sustentatur, mors imminet necesse est. « Misit verbum suum, et sanavit eos » explicat modum quo sanavit aegrotos illos, dicens eos

sanatos verbo, id est, jussu Domini, sive Dei voluntate, non a serpente æneo, vel aliqua alia re creata; non quod res create, ut pharmaca et medicamenta cætera, nullam vim habeant, sed quia vim suam a Deo habent, et sine Dei cooperatione nihil efficere possunt. Deus autem sine illis solo verbo et imperio suo omnia sanare potest, et hoc modo intelligimus illud Sap. xvi: «Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.» Et paulo ante loquens de iis qui per aspectum serpentis ænei curabantur a morsibus serpentum ignitorum: «Qui enim, inquit, conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem.» Ulitur autem David figurata locutione, cum ait: «Misit verbum suum, et sanavit eos.» quasi verbum, sive imperium Dei sit persona aliqua de celo missa ad sanandos ægrotos. Nisi forte predicere voluerit missionem Verbi incarnati ad homines, per quod plurimi sanati sunt a corporali morbo: et a morbo spirituali, id est, a peccato, nemo sanatur, nisi per ipsum. «Non enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,» ut dicitur Act. cap. iii. Tertia vero miseria spiritualis est infirmitas, sive debilitas et fragilitas humanæ nature per peccatum corruptæ. Multi sunt enim, qui satis intelligunt quid sit agendum, et cupiunt interdum illud perficere: sed vires non habent, vel infirmas habent, donec induantur virtute ex alto. Sepe etiam tædio, vel languore quodam affecti, omnem cibum renuit anima eorum, quia quamvis jam eos neque error seducat, neque concupiscentia mala illiciat: tamen non delectat eos verbum Dei, neque ad cœlestia suspirare norunt; et periculum est ne fames eos, non exinopia, sed ex fastidio perimat: neque levis aut rara hæc tentatio est. Ideo et isti clamare debent ad Deum, ut sanetur palatum cordis eorum, et assuescat lac divinæ consolationis concupiscere: et cum inceperint sapere, quæ sursum sunt, et gustare cum dulcis sit Dominus, non sibi hoc tribuant; sed «conificentur Domino misericordias ejus: et sacrificii et sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exultatione.» Divinum enim plane opus est, non humanum, cum homo, solis visibilibus et terrenis assuetus, incipit invisibilia et cœlestia dulciter sapere et ardentius requirere.

23. QUI DESCENDUNT MARE IN NAVIBUS, FACIENTES OPERATIONEM IN AQUIS MULTIS:

24. IPSI VIDERUNT OPERA DOMINI, ET MIRABILIA EJUS IN PROFUNDO.

25. DIXIT, ET STETIT SPIRITUS PROCELLÆ; ET EXALTATI SUNT FLUCTUS EJUS.

26. ASCENDUNT USQUE AD CÆLOS, ET DESCENDUNT USQUE AD ABYSSOS; ANIMA EORUM IN MALIS TABESCEBAT.

27. TURBATI SUNT, ET MOTI SUNT SICUT EBRIUS; ET OMNIS SAPIENTIA EORUM DEVORATA EST.

28. ET CLAMAVERUNT AD DOMINUM, CUM TRIBULARENTUR; ET DE NECESSITATIBUS EORUM EDUXIT EOS.

29. ET STATUIT PROCELLAM EJUS IN AURAM: ET SILUERUNT FLUCTUS EJUS.

30. ET LETATI SUNT, QUIA SILUERUNT: ET EDUXIT EOS IN PORTUM VOLUNTATIS EORUM.

31. CONFITEANTUR DOMINO MISERICORDIE EJUS, ET MIRABILIA EJUS FILIIS HOMINUM.

32. ET EXALTENT EUM IN ECCLESIA PLEBIS, ET IN CATHEDRA SENIORUM LAUDENT EUM.

Hoc est pars quarta Psalmi, in qua laudatur Deus ob liberationem periclitantium in mari. Hujus miserie non occurrit exemplum in Scripturis ante tempora Davidis; sed post illa tempora habemus exemplum in lib. *Jonæ*, cap. i, et in Evangelio S. *Matth.* cap. viii et xiv, et in Act. cap. xxvii. Explicemus verba: «Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo,» id est, qui navigant mare, ac per hoc operantur in aquis remigando, vel vela tendendo, vel contrahendo, experimento cognoscunt illa mirabilia opera Dei, quæ aliis plurimis nota non sunt, nisi forte ex relatione aliorum, videlicet quanta sit vis procellæ, quanta elevatio undarum et fluctuum, quanta vastitas et profunditas maris, quam ingentia et frequentia mortis pericula, quantus denique timor, et horror invadat pectora hominum, etiam fortissimorum. Proprie autem dictum est, «qui descendunt mare in navibus;» non enim, ut quidam interpretes Psalmorum hoc loco ait, ratione probatum est aliud esse mare, quam terram: sed contra, probatum est manifesta demonstratione inferius esse mare, quam terram, quoniam aliqui terram operirent aqua, cum natura sua ad loca semper decliviora descendat. «Dixit, et stetit spiritus procellæ,» id est, dixit Deus, et dicendo jussit ut ventus procellæ existeret, et continuo procella obediens Creatori stetit, id est, exsistit, exsurrexit, exorta est: non enim stetit, hoc loco, significat quietem, sed exortum est; inde «exaltati sunt fluctus ejus,» id est, maris; et «ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos,» poetica hyperbole est: quomodo etiam latinus Poeta dixit: «Fluctusque ad sidera tollit.» «Anima eorum in malis tabescebat,» id est, in visis anima navigantium, spiritus videlicet vitalis, vigor omnis in ipsis existens præ timore et horrore tabescebat. «Turbati sunt et moti sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.» Aptissimis similitudinibus describitur Propheta quid animi gerant homines imminente naufragio: nam neque vires, neque consilium suppetit. Va-

illant pedes, nutat iudicium, imo omnis sapientia, id est, ars et peritia navigandi, a timore nimio quasi absorpta videtur. «Et clamaverunt ad Dominum,» et hic est versus intercalaris, supra explicatus, et versiculi sequentes facillimi sunt; nisi forte aliqua moveat illud, «et statuit procellam in auram,» quod significat Deum conversisse ventum furiosum in ventum placidum, sive tempestatem in tranquillitatem, ut magis proprie sonat vox hebraica דִּבְכִי. Illud, statuit, ex voce hebraica סָק, significat proprie, surgere fecit, id est, fecit ut procella surgeret in auram, hoc est, mutaretur in auram lenem, sive, ut paulo ante dixi, in tranquillitatem. Jam vero quarta miseria spiritualis est, ut supra diximus, malitia voluntatis, quæ præcipue sita est in superbia, quæ regina est vitiorum. Et vere cum ventus superbie exagitare incipit mare cordis humani, tunc extolluntur fluctus desideriorum usque ad cœlum; notæ sunt voces illius, qui est rex super omnes filios superbie: «In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solum meum; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo,» *Isai.* xiv. Ab illo didicerunt antiqui gigantes turrim Babel edificare, quæ cœlum contingeret, *Gen.* cap. xi. Horum nepotes sunt, qui regna reguis, et imperia imperis adungere satagunt, neque ullus est finis cupiditatis eorum: quod si illi ipsi intrarent in corda sua, et attente considerarent quantis cogitationum, auspicionum, timorum, desideriorum, presumptionis quoque et desperationis procellis continuo agitentur, et tandem demergantur in abyssum: sine dubio clamarent ad Dominum, et ipse misericors et pius de tantis periculis liberaret eos: mitteret enim spiritum Filii sui in corda eorum, ut doceret eos mansuetudinem et humilitatem, et eo modo sedatis fluctibus desideriorum invenerint requiem animabus suis, et deducerentur in portum voluntatis suæ, id est, in portum tranquillitatis, quem omnis homo naturaliter cupit. Et quoniam hoc est maximum beneficium misericordiæ Dei, jure optime cantarent: «Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filii hominum. Et exaltent eum,» Deum videlicet, «in ecclesia plebis,» id est, in cœtu populi totius congregati ad laudes Domini celebrandas, et non solum in cœtu plebis, sed etiam in cathedra seniorum,» id est, in consensu majorum, principum videlicet populi, et sapientium senatorum, «laudent eum.»

33. POSUIT FLUMINA IN DESERTO, ET EXITUS AQUARUM IN SITIM.

34. TERRAM FRUCTIFERAM IN SALSUGINEM, A MALITIA INHABITANTUM IN EA.

Hæc est altera pars hujus Psalmi, in qua post decantatas misericordias Domini in depulsionem quatuor miseriarum, laudat Deum ab omnipotentia et providentia, qua naturas rerum aliquando permutat; qua mutatione manifeste indicat se ve-

rum et solum esse illarum conditorem et gubernatorem. Ac primum dicit Deum aliquando «posuisse flumina in deserto, et exitus aquarum in sitim,» id est, quando illi placuit, siccare flumina, et fecisse ut, ubi rivi aquarum abundanter decurrant, ibi fieret desertum aridum et situlosum. «Terram quoque,» videlicet «fecisse in salsuginem,» id est, in terram sterilem, qualis est terra aperta sale, «a malitia in habitantium in ea,» id est, in penam peccati eorum qui terram illam incolebant. Exemplum hujus mutationis habemus in *Genes.* xii, ubi dicitur: «Elevatis Lot oculis vidit omnem terram circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam converteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut paradisus Domini;» hanc vero terram irrigavit et fructiferam, instar paradisi, Deus sulphure et igne de cœlo demisso totam siccat, et sempiterna sterilitate damnavit, ut legitur in eodem libro, cap. xix.

35. POSUIT DESERTUM IN STAGNA AQUARUM, ET TERRAM SINE AQUA IN EXITUS AQUARUM.

36. ET COLLOCAVIT ILLIC ESURIENTES, ET CONSTITUERUNT CIVITATEM HABITATIONIS.

37. ET SEMINAVERUNT AGROS, ET PLANTAVERUNT VINEAS, ET PECERUNT FRUCTUM NATIVITATIS.

38. ET BENEDEXIT EIS, ET MULTIPLICATI SUNT NIMIS; ET JUMENTA EORUM NON MINORAVIT.

Hæc est altera mutatio in contrarium secundum quam Deus, quando voluit, «posuit desertum in stagna aquarum,» id est, fecit ut in locis desertis et arenibus existeret flumina; et terra, quæ erat sine aqua, abundaret rivis aquarum. Et in iis locis, alias incultis et desertis, fecit ut frequentes homines habitarent, civitates construerent, terram colerent, fructus inde perciperent, multiplicarentur denique valde tum homines tum jumenta ipsorum; hoc enim significat illud, *jumenta ipsorum non minoravit*, id est, fecit ut non esset exiguus numerus jumentorum, sed plenus et copiosus. Ad quam historiam respiciat hoc loco Propheta, non est adeo certum, nam fecit quidem Deus in deserto propter filios Israel ex rupe saxea nasci flumina, ut habemus *Num.* xi; sed non collocavit illic populum suum, neque sunt illic urbes edificatæ, neque seminati agri, neque plantatæ vineæ. In terra vero promissionis, collocavit quidem populum suum Deus; sed jam antea erant in ea terra flumina, urbes, agri culti et vineæ. Existimo igitur Prophetam respicere ad antiquas historias, et primordia propagationis generis humani post diluvium: quemadmodum enim mutavit terram Sodomorum ex irrigua et fertili in aridam et desertam, sic etiam in aliis locis fecit existere flumina, et edificari civitates, et coli campos, et plantari vineas, et propagari homines et jumenta. Quia vero *Isaias* propheta cap. xli hunc locum Psalmi notare videtur, cum

ait: «Ponam desertum in stagna aquarum, et terram iniviam in rivis aquarum;» et verba Isaie a S. Hieronymo et aliis intelliguntur de gentilitate, quae olim deserta et inculta, sine fide, sine lege, sine prophetis, sine sacerdotio, futura erat per Christum irrigua Spiritus Sancti donis; ideo totum hunc locum recte S. Augustinus in sensu vel litterali, vel certe allegorico exponit de Synagoga Iudeorum et Ecclesia gentium; Synagoga enim, quae olim abundabat aquis verbi Dei, et veluti terra fecunda et culta proferebat prophetas et sacerdotes, et habebat altaria, sacrificia, miracula, visiones: nunc deserta et arida versa est in salsuginem, et his tribus caret: contra vero gentilitas, quae deserta et iniqua erat, conversa est in stagna aquarum, et facta est fecunda, ac in nobilibus omnium generum refertissima, id est, cepit esse populus Domini, Ecclesia Dei vivi, gens sancta, regnum sacerdotale, in quo solo verum est sacrificium, veri sacerdotes, vera miracula, vera sanctificatio, vera sapientia, denique Spiritus Sancti charismata omnia.

39. ET PAUCI FACTI SUNT, ET VEXATI SUNT A TRIBULATIONE MALORUM, ET DOLORE.

40. EFFUSA EST CONTENTIO SUPER PRINCIPES, ET ERRARE FECIT EOS IN INVIO, ET NON IN VIA.

41. ET ADJUVIT PAUPEREM DE INOPIA, ET POSUIT SICUT OVES FAMILIAS.

42. VIDEBUNT RECTI, ET LETABUNTUR, ET OMNIS INIQUITAS OPPLIABIT OS SUUM.

Docet nunc Propheta nihil in terris esse perpetuum aut stabile. Nam illi quos Deus aliquando benedixit, et benedicens multiplicavit, paulo post exigentibus peccatis eorum imminuit sunt et ad paucitatem redacti; et qui paulo ante florebant omnibus bonis, eundem ceperunt angustiis et persecutionibus premi: nec solum privati hominibus hoc accidit, sed etiam principibus, quos Deus propter eorum peccata contemptibiles reddidit, quoniam sapientia ac prudentia eos privatos permisit in multis magnisque rebus errare. Sed eodem tempore non defuerunt viri probi, quos Deus sublevarit de inopia, et pavit, ac rexit ut proprias oves. Ex quo factum est per divinam providentiam, ut tandem viri iusti letarentur, et iniqui confusi remanerent. Hoc autem, quod dictum est generatim de providentia Dei erga genus humanum, potest etiam dici de providentia Dei speciali erga Ecclesiam, quae brevi tempore crevit, et paulo post per schismata et haereses imminuta est, et vexata atque afflicta; et principes ejus, id est, episcopi et sacerdotes, contemptibiles redditi, quia multi eorum longe recessissent a via majorum sanctorum, qui in omni sanctitate et iustitia populo suo praeiuxerant. Ceterum, non sic imminuta est Ecclesia, quin multi etiam manserint tunc ex principibus, tunc ex privatis, tunc ex sacerdotibus, tunc ex laicis, viri sancti, quos Deus

bonis spiritualibus ditavit, et ut proprias oves ad optima pascu duxit et crescere fecit. Sed verba consideremus. «Et pauci facti sunt,» id est, et postea cum multum crevisset, vicissim minui ceperunt. «Et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore,» id est, et cum aliquandiu prosperitate vigente leti fuissent, ceperunt vexari a tribulatione et dolore ob mala quae illis advenierunt; illud enim, *malorum*, non significat *malorum hominum*, sed *malorum rerum*, id est, calamitatum, erumnarum, infortniorum. «Effusa est contentio super principes.» Recte editio Vulgata correctae est hoc loco: nam vitio librariorum legebatur *contentio* in omnibus fere latinis codicibus. Sed ex textibus graecis et hebraicis, et ex lectione veterum Hieronymi, Augustini et aliorum certum est legi debuisse: «Effusa est contentio;» accedit etiam quod hic idem versiculus legitur apud *Job*, cap. xii, vers. 21: «Effundit de speculationem super principes;» et credibile est Davidem ex *Job* hunc versiculum accepisse. Gravis haec poena est, tum populis, tum principibus, et magni criminis precedentis indicium, quando Deus effundit contempionem in principes, id est, providentia sua facit ut principes sive ecclesiastici, sive seculares, sint valde contemptibiles. Illud enim verbum, *effundit*, significat *abundantiam sive magnitudinem* contempionis; tunc enim laxatur disciplina, et omnia in deterius ruunt. «Et errare fecit eos in invio, et non in via:» haec est causa contemptus, quia principes ob sua et populi peccata deserti lumine sapientiae et gratiae per devia incedunt, et non per vias rectas, id est, vitiose vivunt, exemplo malo populum scandalizant, vel etiam leges iniquas constituunt, favent malis, vexant honos. Dicitur autem Deus eos errare facere, quia in poenam peccati non eos illuminat, neque bonam voluntatem eis inspirat. S. Augustinus in epist. 103 ad *Sixtum*: Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam; et tract. 33 in *Joan*: Sic excaecat, sic obdurat Deus deserendo, nec adjuvando, quod oculo iudicio facere potest, iniquo non potest; et lib. 1 ad *Simplic.* Quest. II: Non ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterius, sed tantum quo sit melior non erogatur. Denique lib. *De Gratia et libero arbitrio*, cap. xxiii: Quando auditis dicentem Dominum: «Ego Dominus seduxi Prophetam illum,» in eo quem seduci permittit, mala ejus merita credit. «Et adjuvit pauperem de inopia,» id est, sicut Deus superbos principes errare permittit et contemptibiles reddit: sic e contrario pauperes et humiles adjuvat, et de inopia sive temporali, sive spirituali sublevar. «Et posuit sicut oves familias,» id est, posuit Deus familias pauperum iustorum sicut oves, ita ut ens et multiplicaverit, et in unum congregaverit, et pastorem eis dederit, et singulari providentia gubernaverit. «Videbunt iusti, et letabuntur, et omnis iniqui-

tas oppliabit os suum,» id est, ex hac providentia Dei tandem fiet ut iusti letentur, et ex letitia exultent et laudent Deum; «et omnis iniquitas,» id est, omnes iniqui obmutescant, nec audeant ullo modo contradicere. Id vero quamvis aliquando conspiciatur in particularibus iudiciis, tamen absolute et universe apparebit in iudicio universali.

43. QVIS SAPIENS, ET CUSTODIET HEC, ET INTELLIGET MISERICORDIAS DOMINI?

PSALMUS CVIII

SECUNDUM HEBRAEOS.

V. v. — 1. *Canticum Psalmi ipsi David.*

2. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, et psallam in gloria mea.

3. Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara: exsurgam diluculo.

4. Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus.

5. Quia magna est super caelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

6. Exaltare super caelos, Deus, et super omnem terram gloria tua:

7. Ut liberentur dilecti tui. Salvum fac dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo: Exultabo, et dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar.

9. Meus est Galaad, et meus est Manasse, et Ephraim susceptio capitis mei.

Juda rex meus: 10. Moab lebes spei meae.

In Idumaeam extendam calcamentum meum; mihi alienigenae amici facti sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et non exibis, Deus, in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Argumentum. — Carmen hoc ex duobus Davidicis est contextum, atque initium quidem transcriptum est ferme isdem verbis ex *Ps. lvi* usque ad vers. 6, reliqua omnia ex *Ps. lx*, vers. 7 sequi sunt de prompta. A Davide ipsa factum videtur, ut novo eodemque laetiori exordio Psalmus *lx* in meram gratulationem pro relictis victoriis commutaret. Nec ab simile vero est, quod alius conjicit, Psalmum nostram eundem esse ac Psalmum *lx*, novo etiam addito exordio, versiculos autem 2-5 Psalmi *cvii* fuisse librariorum errore insertos in *Ps. lvi* (post

Hae est conclusio totius Psalmi, in qua colligitur Propheta ex dictis illum esse vere sapientem, qui observavit et custodiet in corde suo supra dictas vicissitudines rerum, et intelligit, quemadmodum in omnibus appareat ineffabilis misericordia Domini erga pios homines et timentes Deum; dicit autem: «Quis sapiens,» quoniam paucorum est ista sapientia, et stultorum infinitus est numerus.

V. s. h. — *Canticum Psalmi David.*

Paratum cor meum, Deus: cantabo, et psallam, sed et gloria mea.

Consurge [h. *expergiscere*], psalterium et cithara, consurgam mane [h. *expergiscar diluculo*].

Confitebor tibi in populis, Domine, et cantabo te in nationibus [h. *psallam tibi in plebibus*].

Quoniam magna super caelos misericordia tua, et usque ad aethera veritas tua.

Exaltare super caelos, Deus: et super omnem terram gloria tua.

Ut liberentur dilecti tui: salva dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sanctuarii suo: gaudebo: dividam Sichem [al. *Scitiam*], et vallem Socoth dimetiar.

Meus est Galaad, meus est Manasse, et Ephraim haereditas [h. *fortitudo*] capitis mei.

Juda dux [h. *legifer*] meus. Moab lebes pelvis meae.

Super Idumaeam projiciam calcamentum meum: cum Philisthim foederabor [h. *mihi Palaestina foederabitur*].

Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?

Nonne tu, Deus, qui projeceras nos, et non exieras, Deus, in exercitibus nostris?

Da nobis auxilium in tribulatione: vana est enim salus ab homine.

In Deo erimus fortes [faciemus virtutem], et ipse conculcabit hostes nostros.

vers. 7), ob similitudinem vers. 6 Psalmi cxi cum ultimo Psalmi lvi, cujus tamen hac insertione perturbatur sententiarum nexus. Ceterum strophæ tres: vers. 2-5, immensam benignitatem tuam canam, o Deus; vers. 6-10, ostende, servatis cultores tuos, potentiam tuam, o Jova, qui terram sanctam una cum terris adjacentibus nostram esse jussisti; vers. 11-14, te duce vincemus.

1. Canticum, carmen Davidis.
2. Firmum (intrepidum) est cor meum, Deus, canam voce et fidibus gloriam meam (Jovam).
3. Expergiscere, nablium et lyra, excitabo auroram.
4. Celebrabo te inter populos, Jova, et canam te inter nationes.
5. Nam magna super cælos est gratia tua, et usque ad nubes veritas tua.
6. Effer te super cælos, Deus, et super omnem terram sit gloria tua:
7. Ut eripiantur dilecti tui, serva dextera tua, et exaudi nos.
8. Deus locutus est in sanctitate tua: lætitia exultem! dividam Sichemum, et vallem Succoth metiar.
9. Mihi est Gileaditis, mihi Manasse, et Ephraim munimentum capitis mei, Juda sceptrum meum.
10. Moab olla lotionis meæ, super Edom projicio calceum meum, de Philistæa júbilo.
11. Quis ducet me in urbem munitam, Quis deducet me usque ad Idumæam?
12. Nonne tu, Deus, qui rejeceras nos, neque exibas, Deus, cum exercitibus nostris?
13. Da nobis auxilium ab adversario, vana est salus (auxilium) hominum.
14. Per Denm agemus fortiter, isque pedibus comminet adversarios nostros.

NOTE.

Vers. 2. *Gloriam meam*, propr. *gloriam, inquam, meam*. Alii, *in anima mea*, quod languidum—
Vers. 3. *Excitabo*, etc., ut canam; Mauror, *vigilabo cum aurora*.—Vers. 7-14. Cf. *Ps. lx.*

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS CVIID.

PARATUM COR MEUM DEUS.

Hic Psalmus non eget explicatione: constat enim ex parte extrema Psalmi lvi et lxx. Cur autem Psalmus hic additus sit ad *psalms*, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus centum quinquaginta Psalmorum: nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita, quam mihi fateor notam non esse.

PSALMUS CIX

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, Psalmus David.*

V. s. h. — *Victori, David Canticum*
[*h. Psalmus*].

2. Deus, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

Deus laudabilis mihi, ne taceas: quia os impii et os dolosi contra me apertum est.

3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

Locuti sunt de me lingua mendacii: et verbis odii circumdederunt me, et expugnaverunt me frustra.

4. Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Pro eo quod eos diligebam, adversabantur mihi: ego autem orabam.

5. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.

Et posuerunt contra me malum pro bono, et odium pro dilectione mea.

6. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.

Constitue super eum impium, et Satan stet a dextris ejus.

7. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

Cum fuerit judicatus, exeat condemnatus, et oratio ejus sit in peccatum.

8. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant dies ejus pauci: episcopatum ejus accipiat alter.

9. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.

Sint filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua.

10. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.

Instabiles vagantur liberi ejus, et mendicent, et querantur in parietinis suis.

11. Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.

Scrutetur exactor universa quæ habet, et diripiant alieni laborem ejus.

12. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Non sit qui ejus misereatur, nec qui clemens sit in pupillos ejus.

13. Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.

Fiat novissimum ejus interitum: in generatione altera deleatur nomen ejus.

14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.

Redeat in memoriam [*h. commemoretur*] iniquitas patrum ejus apud Dominum, et iniquitas [*h. peccatum*] matris ejus non deleatur.

15. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum:

Sint contra Dominum semper, et intereat de terra memoria eorum:

16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam:

Eo quod non est recordatus facere misericordiam: et persecutus est virum inopem, et pauperem: et compunctum corde, ut interficeret.

17. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, quæ [*al. et*] veniet ei;